



I. N. J. V

De

EFFLUVIIS CORPORUM NATURA- LIUM

ex

Atomorum Doctrina,
EXERCITATIONEM SECUNDAM
Consensu Amplissimi Ordinis Philosophici,

PRÆSIDE

JEREMIA PAPKEN.

MATHESEOS PROF. ORDINARIO,

ERUDITORUM EXAMINI EXPONET

FRIEDERICUS GLAVE,

UCKERMUNDENSIS POMER.

IN AUDITORIO MAJORI

AD D. DEC. A. MDCCXXVI.

Gryphiswaldie,
Typis CAROLI HOEPFNERI, Reg. Acad. Typogr.

V I R O
*Illustri, Reverendissimo, Magnifico,
ac Generosissimo Domino,*

DOMINO
ALBERTO JO-
ACHIMO
DE
KRAKEVITZ,
SACRÆ REGIÆ MAJ. PER DUCATUM
POMERANIÆ AC PRINCIPATUM RUGIÆ GE-
NERALI SUPERINTENDENTI, ACADEMIÆ GRYPHIS-
WALDENSIS CURATORI, AC PROCANCELLARIO
PERPETUO, CONSISTORII REGII PRÆSIDI,
S. S. THEOL. DOCTORI, ET PRO-
FESSORI PRIMARIO,

Mecænati Suo Gratiostissimo,

Hasce scientiæ Academicæ primitias candida pietate,
perpetuo obsequio, humillimaque observantia,
in æternam nominis sui devotissimi memoriam,
& in futuram uberioris gratiæ spem,

consecrare voluit
Cliens humillimus
FRIEDERICH GLAVE.



In priori Dissertatione, tribus Capitibus *de doctrina Atomorum*, ita egimus, ut primo Capite consideraverimus, hanc philosophandi rationem Epicuream olim dictam, atomorum doctrinæ innixam, sive sententiam de atomis, ut primis omnium rerum naturalium principiis, cuius Auctor vulgo quidem Epicurus habetur, non videri absurdam, sed & veritate & utilitate sui se se nobis valde commendare; modo caveamus, ne illa admissa, aliquid ex impietate Epicurea admittamus, quale est: atomos esse æternas, esse infinitas, à se ipsis habere vim motricem, sponte mundum constituisse, & quæ sunt reliqua absurdæ, & cum religione nostra Christiana pugnantia. Cum autem ea, quæ de impietate Epicurea huic philosophandi rationi objici solent, obiter saltem & strictè atque breviter, & uno quod dicitur verbo, in prioris Dissertationis Capite primo, tetigerimus; atque à nostra sententia prorsus removerimus; ingeniorum vero humanorum male feriata perversitas, etiam clare dicta in alienum sensum detorquendo, facile depravet; & nihil quicquam tam diserte, proprie clare & perspicue dici possit, ad quod pervertendum & sugilandum homines, partim ex ignorantia & inficiâ, partim Diaboli suggestione, non sint proclives, partim etiam suopte quodam acumine per quam ingeniosi; Ut facile hinc hodierum reperiantur, uti jam olim reperti, qui in hac philosophandi ratione hospites, eam vel ideo etiam, quoniam communiter Epicuro tanquam Auctori adscribitur, prorsus explosam & damnatam cupiunt, quasi homines simplices à pietate Christiana avocet, & nova religione inficiat atque imbuat; Ideo constitui, antequam ea, quæ de effluviis corporum ex atomorum doctrina, adhuc duobus reliquis capitibus dicenda restant, aggredior, paulo fusius ostendere, quænam sint potissimum ea, quæ in Physica præfertim Epicuri, tanquam à nostra religione aliena, & pro rejectiis & impiis habenda sunt, ne, rejectis & damnatis iis, uti par est, quæ partim non verosimilia, aut absurdâ sunt; partim ut improba, turpia, nefaria & impia, religio-

A

ni

ni Christianæ aduersantur, simul ea, quæ vere, pie, ingeniose, acute & erudite dicta sunt, rejiciantur & improbentur. Ita vero sententiam illam de massa atomorum, omnium rerum materialium principio, explicari posse persvasi sumus, ut eadem cum Scriptura Sacra consistere possit, nec admirando creationis operi injuriam faciat, prouti à Christianis Philosophis factum fuisse videmus, qui cavent, ne durius quid in hac philosophandi ratione audiatur, quod cum divinoribus literis pugnet, sed illam repurgatam & integrum, & ab impietate gentili, qua mirum in modum alias defœdata fuit, retinent liberam. Demunt, quæ Gentilismum redolent, quæque Christiana religio sentire prohibet, & opus creationis fartum que servant. Detestantur Epicuri sententiam, quæ Deum non esse Autorem mundi, mundum sponte sua coiisse, & absque nutu Summi Numinis gubernari &c. docuit. Toto pectore improbant, quæ abominanda promitt LUCRETIUS, pulcre cum suo EPICURO consentiens; Hic enim LUCRETIUS cum totam EPICURI disciplinam accurate cognovisset & perdidicisset, materiam quoque & res, ad scribendum de natura rerum, se conferens ab EPICURO, cuius disciplinam & decreta adamabat, mutuatus, ejusque Philosophiam approbans, in omnibus eum exprimere conatus est. Ita vero ex sententia EPICURI, tanquam vaferrimus somniorum ejus, ut dicitur, interpres, canit Lib. II.

v. 1004. p.m. 195:

*Mundus natura factus, & ipse
Sponte sua forte offensando semina rerum,
Multimodis, temere, incassum, frustraq; coacto
Tandem coluerint ea, quæ conjecta repente
Magnarum rerum fierent exordia semper,
Terrai, maris & cæli, generisque animantium.*

Non multo post talia profert p. 197.

Natura videtur

*Libera continuo Dominis privata superbis,
Ipsa sua per se sponte omnia DIS agere expers.*

Hanc sententiam, quam & sanores in Gentilismo Philosophi averfati sunt, Christiani Philosophi, ratione & Scriptura melius edocti

edisti, rejecerunt, & ab illa dudum abhoruerunt. Quemadmodum & illud EPICURI assertum rejiciunt, quo non tantum docuit, infinitum esse spatium illud, in quo etiam mundus nostra subsisteret, sed infinitum praeterea mundum esse, nullumque dari medium ejus punctum, neque esse centrum aliquod universale. Sane EPICURUS non admisit aliquod separatum inane magnum, prorsus vacuum, merum arque purum, sed dixit: illud pluribus passim mundis interstineri, & pervadi a transvolantibus atomis. Et pro tali infinite mundi pugnat apud CICERONEM Lib. II. de Divinitate. Vacuum interspersum dari, sive corporibus mundi intercipi spatiola, sive vacua disseminata, concedimus cum aliis, sed EPICURI infinitatem spati & mundi negamus. EPICURI mentem quoque diversis in locis interpretatur LUCRETIUS, Lib. I. v. 959. p. m. 93, ita cum suo Epicuro philosophatur:

*Omne quod est igitur, nulla regione viarum
Finitum est, namq. extremum debebat habere.
Extremum porro nullius posse videtur
Esse, nisi ultra sit, quod finiat, ut videatur
Quo non longius bac sensas natura sequatur.*

Nec multo post v. 964.

*Nunc, extra summam quoniam nihil esse fatendum est,
Non habet extremum: Caret ergo fine modoque.*

Et p. 97.

*Usque adeo passim patet ingens copia rebus,
Finibus exemptis, in cunctas undique partes.*

Et Lib. II. p. 117. v. 188. seqq.

*Et quo jactari magis omnia materiai,
Corpora pervideas: reminiscere totius imam
Nil esse in summa: neg. habere, ubi corpora prima
Constante: quoniam sine fine modoq. est.*

Et Lib. V. v. 655. seqq. p. m. 570.

*Ut reminiscaris, summam rerum esse profundam,
Et videoas celum summai totius unum
Quam sit parvula pars, & quam multiesima confest:
Et quota pars homo sit terrai totius unus.*

A 2

Et

Et v. 684. p. 571.

*Cum tamen omnia cum calo, terraq; marique,
Nil sunt ad summam summai totius omnem.*

PERIPATETICORUM & veterum ACADEMICORUM (quoniam PLATO fortasse excipiendus est) & STOICORUM & omnium deinceps, qui unum mundum, eumque finitum esse volunt, haec sententia est: *omnia gravia in medium ferri, levia à medio ad extreum moveri.* EPICVRVS autem, qui mundos esse censuit innumerabiles, & omne, sive universum esse infinitum, mundumque nostrum partem ejus per exiguum, in quo sibi olim consentientem habuit EMPEDOCLEM, extra mundum hunc statuentem esse infinitum aliquid spatium, materia repletum, negavit reperiri posse vel dari medium aliquid illius punctum neque esse centrum aliquid. Speciatim hanc quoque sententiam defendit LVCRETIVS sub fine Libri I. v. 1071. p. m. 102, inquiens:

*Nam medium nihil esse potest, ubi inane locusq;
Infinita*

Porro EPICVRVS non negavit quidem Deum existere, sed docuit tamen, ab eo non dependere neque regi hoc universum, sed vivere illum extra hujus curam in quiete; à quibusdam solet Atheis annumerari, sed utique Deum esse docuit. CICERO eum accusat Lib. I. de Natura Deorum: *quod verbis reliquerit Deos, sed re susulerit;* VELLEJUS tamen, qui ex mente EPICVRI loquitur, expresse testatur, EPICVRM vidisse, Deum esse, quod in omnium animis eorum notitiam impressisset natura, nullum enim esse genus hominum, quod non sine doctrina habeat anticipationem quandam Deorum, quam EPICVRVS appellavit περιτίχην. Ex LVCRETIO apparet, etiam inficias non ivisse EPICVRM: homines operum mundanorum inspectione, opinionem, de Deo haussisse, indeque natam esse in ipsorum mentibus religionem, vid. LVCRETIVM Lib. V. v. 1182. seqq. p. m. 500. Sed irritidet eos cum EPICVRO suo LVCRETIVS l. c. v. 1193. seqq. p. 502.

*O genus infelix humanum, talia Divis
Cum tribuit facta, atq; iras adjunxit acerbias;*

Quantos

*Quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaq; nobis
Vulnera? quas lacrymas peperere Minorib; Nostris?*

Et Lib. I. v. 53. seqq. p. m. 10. ex EPICVRI placitis naturam divinam describit, docetque, Deum ob summam felicitatem suam, & pacem qua fruitur, prorsus non tangi cura nostri, rerumque nostrarum. Nec adeo EPICVRVS cum LEUCIPPO, DEMOCRITO & paucis aliis, concedere voluit: Ens illud SUMMUM mundo praesidere, illumque providentia sua regere; negavit autem tam providentiam generalem, qua Deus universum hoc, atque ejus protectionem & gubernationem curat, quam specialem, qua generi humano prospicit; illamque duabus potissimum; hanc vero sex rationibus destruere, sed frustra conatus fuit. Et si cuti omnia, spontanea atomorum coitione facta esse docuit, ita quoque statuit, nihil ob certum finem antea praecognitum coiisse, sed demum deinde usu sui finem aliquem hominibus monstrasse. Hinc LVCRETIVS cum Epicuro à Consideratione Philosophica rejicit doctrinam de causa finali. CARTHESIVS quoque in hanc sententiam consensisse multis videtur, quod in naturalibus rebus causa finalis à nobis queri non debeat, sed notatur propterea à BOYLE, RAYO & aliis, vid. Act. Erud. A. 1688. p. 491. & A. 92. p. 76. EPICVRI vero sententiam de negata providentia Dei & infinitate mundorum, casu & sponte natorum, refutat PLVTARCHVS vid. PART. I. ejus Moralium, in specie de Oraculorum Defectionibus p. m. 444. PART. III. adversus Colotem p. 353, refert de EPICVRIO: *Quod dicat universum infinitum, ortus & occasus expers, & infinita esse numero corpora;* & p. 346, *quod animam mortalem & Deos otiosos fingat.* Hæc sunt illa, quæ quoad maximam partem, falsam religionem, & meram impietatem in Philosophia EPICVRI spirant & redolent, quibus addere licet illud, quod M. T. CICERO etiam inter decreta EPICVRI referat: Deos nempe neque irasci cuiquam, neque esse propitiis, quod cum alibi tum in Oratione in L. Pisonem declarat, ubi Cap. 25. Edit. Grexii p. m. 702, Pisonem ipsum sic facit loquentem: *Quid est Cesar, quod te supplicationes tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur quas Dii negligunt, qui (ut noster ille divinus dixit EPICVRVS) neque propitiis cuiquam esse solent, neque irati.* A PLUTARCHO ipsius EPICURI verba

ita referuntur: *In grazibus morbis speras te à Deo quid boni confec-
cuerum? Cacuus: quod enim beatum est & immortale, neque ira, neque
gratia capitur.* Idem PLVTARCHVS de Vitis Tom. II. in Pyrro p. m. 16.
de Secta Epicuri refert: *Quod Deum longissime ab ira & gratia, cura-
que hominum, in otiosa & voluptatum plena vita collocent.* Nonnulli
putant, EPICVRVM & ejus affectas ideo in Philosophia multa im-
pia & absurdia dogmata fuisse commentos, quia Mathesin con-
temserunt. EPICVRVS, cum ipse Mathemata contemneret, POLY-
ÆNUM familiarem suum Geometriam dedocuit, omnesque li-
beralibus illis artibus eruditos contumeliose vexavit. Ex DIO-
GENE LAERTIO, & G. HORNIO facile colligi poterit: Etsi in Dog-
matibus EPICURI, sana quædam reperiantur, aliquam tamen par-
tem, stolida, absurdâ, impia atque ab omni honestate, pieta-
teque longissime remota deprehendi, utut Arianum & alios
fautores ac benignos interpretes, ut refert Vossius de Secta
hac, nacti sint. De EPICVREIS non immerito hanc censuram egit
RIVALTUS: *Epicuri discipuli falsam Geometriam esse contenderunt, sed
vide, quam inaniter & impie in multis philosophati sunt;* Qvod verum
esse inter alios demonstrat G. HORNII aduersus LAERTIUM, SE-
NECAM & alios Epicuri ac Sectariorum ipsius Patronos. Forte
EPICURUS hanc falsam opinionem traxit & hausit è Schola Pyrrhoni-
orum, è qua venit, ita tamen, ut, quod ex ratis sententiis e-
jus adparet, quas reliquit LAERTIUS, Dogmaticus extiterit; ipsi
vero PYRRHONII, quod Matheseos contemntum spectat, eodem ac
Epicurei stigmate notantur, vid. Voss. de Sectis Philosophorum.
Etenim simulac ab eo, ex cuius nutu & ore pendemus, percep-
imus, hanc vel illam disciplinam non esse adeo necessariam,
aut ex ejusdem sententia utilem, statim eam opinionem fo-
lemus amplecti, & nobis persuadere, posse nos ad aliquem eru-
ditionis gradum pervenire, etiam si hospites simus in illis di-
sciplinis, quæ circulo Matheseos comprehenduntur. Idem
hoc accidisse videtur EPICURO in Schola Pyrrhoni-
orum, quod animadvertis & hodie in multis, qui imperitiores rerum
Mathematicarum, nisi tamen magnorum Doctorum auctori-
tate, minus æqua ferunt de doctrinarum Mathematicarum pre-
tio, & eorum, qui iis juvandis ornandisque operam navant,

con-

conatibus, judicia. Qvando autem EPICURO suo, Matheseos licet contemtori, tantum tribuit LVCRETIVS, ut Lib. V. v. 8. & 19. DEUM vocet, nec dubitaverit affirmare: EPICVRVM reliquorum omnium Philosophorum lumen obscurasse, quemadmodum Sol suo splendore aliorum cælestium corporum claritatem obfuscat; nimiis quidem forte, & meritum Viri fere supergressis laudibus, ornavit Magistrum & Ducem suum; Interim exemplum EPICURI etiam facit, ut fateamur cum Clariss. DN. JOH. à FELDEN in Diss. de Scientiis Mathematicis §. 4. multos in Philosophia extitisse præstantes & præclaros Viros, qui tamen Mathematicis Studiis non fuere imbuti. Nemo tamen negare volet aut poterit, illos ipsos præstantiores forsan fuisse, si etiam in arena Mathematicorum desudassent, qvod cum non fecisset EPICVRVS, mirum non est, præstantissimum alias Philosophum, fuisse tam iniquas, absurdas & impias opiniones, atque inaniter & imperite fuisse in multis philosophatum, cuius rationes insanæ ac furiosæ, ut & illas absurdas de atomorum concursione fortuita, de mundis immensis & infinitis, & ceteras, neque difficile est nobis refutare; neque vero necesse est, quippe cum ab ipsa veritatis voce, vel tacentibus omnibus, facilime refellantur, judicante DIONYSIO LAMBINO in Præfatione Commentarii sui in Lib. VI. LUCRETTI de natura rerum. Ipsa interim EPICURI philosophandi ratio, atomorum doctrinæ innixa, prouti GASSENDUS dogmata ejus explicuit, sordesque Ethnicas ejecit, aliquæ ejus sententias repurgatas orbj eruditio proposuerunt, & facilitate & perspicuitate maxime se commendat. Multa enim in hac Philosophia reperiuntur cum præstantissimorum Philosophorum sententiis & decretis consenteantia, multa probabilia, multa denique præclara & egregia. Hæc assumamus, hæc arripiamus & approbemus, illa quæ sunt commentitia, quæ absurdæ, atque à pietate Christiana remotissima, rejiciamus, repudiemus, detestemur. Imitemur antiquiorum illorum Christianorum exempla; Siquidem Veteres illi Christiani sanctissimi Viri, JVSTINVS MARTYR, GREGORIVS NAZIANZENVS, JOH. CHRYSOSTOMVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, AVGUSTINVS, HIERONYMUS, &c. &c. DEMOCRITUM

&

& EPICURUM & cæteros Philosophos studiose legerunt, neque id temere & frustra; Nam quemadmodum apes ex singulis floribus, quod ad mel conficiendum utilissimum atque aptissimum, limare atque depasci consvererunt; quod est inutile, non attingunt, aut certe non degustant; ita & antiquiores & recentiores etiam sancti illi Christiani & Philosophi & Theologici, ex EPICURI scriptis, quæ ad veram Philosophiam propagandam & ornandam, ad religionem contra adversarios vindicandam & defendendam, valere existimarent, ea diligenter & accurate selegerunt; quæ repugnare sentirent, ea præterierunt & respuerunt, adeoque Atomistarum doctrinam, ad naturalium rerum & effectuum causas enodandas, aptissimam & valde convenientem, ita repurgarunt & explanarunt, ut in liquidissimum & sincerissimum Sacri Codicis fontem, indeque haustam puram & incorruptam religionem, & ad hanc spectans dogma sacrum de Creatione, non impingeret. Textus sacer dicit: Deum produxisse mundum dupli actione 1.] creasse rudem atque indigestam aliquam materiam ex nihilo. 2.] Disposuisse illam materiam & in certa corpora distribuisse. Nihil igitur à religione & pietate Christiana alienum docebimus, si statuamus & dicamus: illam materiam primam, in primordio rerum constitisse ex innumeris particulis, non tamen infinitis, nullo motu latis, neque virtute præditis, sed inertibus & rudibus; ita tamen fuisse ordinatam, ut & cœlum & terra in ea quadantes apparuerit; fuisse autem illas particulas non dispersas, sed cohæsisse, siquidem illa materia condita, fuit magna aliqua congeries corpusculorum non quidem disjunctorum, sed conjunctorum vel contiguorum. Neque enim credibile est, congeriem illam ad modum solidissimorum corporum, quæ postea inde prodierunt, initio statim firmissime fuisse compactam, cum fuerit materia nondum disposita & exornata, sed informis, indigesta, virtute & efficacia omni destituta. Hanc materiam omnis ornatus expertem, deinde à Deo variis qualitatibus fuisse fecundatam, ut ad summi Artificis nutum, varia inde corpora fabricari potuerint. Hanc materiam creavit Deus prima nocte, primæ feriae sive vespera, quæ diem Dominicum præ-

præcedit. Porro eodem die naturali jussit ex illa materia prima non quidem dispersa, sed laxiori compage cohærente, & ex variis atomorum molleculis constante, prodire lucem. Nam materia illa prima habebat omnia illa & singula corpuscula, ex quibus deinde omnia mundi corpora fuerunt constituta. Cum itaque Deus jubaret, ut ex tenebris emergeret lux, particulæ illæ ad corpoream lucis substantiam destinatae, quæ jam latuerunt in illa massa, per hoc mandatum indito motu egressæ, semet socia-
runt, certumque corpus constituerunt. Qvamvis non adeo multum hic repugnabimus, si quis cum B. CHEMNITIO reliquis-
que nonnullis Celeberrimis Theologis statuere velit, lucem primigeniam immediate quoque à Deo fuisse creatam, nec ejus corpuscula in prima materia quam Chaos dicimus, jam latuisse, sed potius qvatuo illa nempe *Chaos, lucem, animam humanam, & Angelos* immediate à Deo esse creata. Nobis tamen probabilior videtur illa sententia, quæ asserit, particulas lú-
cidas quemadmodum omnium reliquorum corporum parti-
culas, jam latuisse in prima materia, antequam corpora coag-
mentata inde resulterint, nondum tamen lucidas illas parti-
culas habuisse vim & virtutem lucendi. Postquam vero lux primigenia formata fuit in certum aliquod corpus, credibile est, apparuisse illam in certo loco, quem *Horizontem orivum vo-*
care nihil impedit, & deinde se movisse ad Horizontem occiduum,
quia alias interstitium noctis fieri non potuisset, quod tamen Scriptura sacra testatur, ter extitisse, antequam solare corpus ex particulis heterogeneis fuerit conflatum, & in expanso æ-
thereo sive cœlesti constitutum, siquidem qvarta demum die, Deus hanc lucis substantiam, per triduum mundi primum, sine alio corpore subsistentem, distribuit, ut omnis lux in tota re-
rum natura ex ea participaret, & cum Deus formasset solem, lunam & reliqua corpora cœlestia, addidit illis lucem primo-
geniam, ut ex ea tanquam materia prædominante, corpora im-
primis lucida, sive proprio lumine coruscantia, fuerint con-
flata. Notari autem bene meretur, in hac creatione mediata,
quæ etiam secunda dicitur, Deum cum particulis, ex materia prima omnis ornatus experte, desumtis, & ad fabricanda inde

B

&

& producenda corpora, destinatis, simul omnibus corporibus, varias virtutes & qualitates indidisse, ut postquam ex particulis illis minimis indigentis, viribus & qualitatibus fecundatis, orta sunt & coierunt corpora, hodienum in continuata creatione five generatione iisdem virtutibus fruantur. Nam illæ potentia in prima massa atomorum non fuerunt, sed hæc vi mandati divini, iisdem fuit donata in creatione media. Cum Deus diceret: *fiant luminaria*, eo ipso momento sociatæ & congregatæ fuerunt particulæ ex massa atomorum universali, quas ordinaverat, ad *luminaria* constituenda, eoque ipso momento illis vires donavit, quæ hodierno die illis adhuc insunt. Ita secundo die Deus iustit, ut fieret aquarum divisio. Aqva erat massa major, corporea, ex atomis elementalibus sibi permisstis conflata, cum prædominio atomorum, five particularum, anguillarum parvularum instar longarum, lœvium & lubricarum, æthereis innatantium & circa se quasi reptantium. Expansum per quod aqvæ divisæ, & in quo cœli corpora deposita sunt, est vastissimum illud spatum & patentissimum, aura cœlesti, five materia subtilissima repletum, & ad nos usque extensem, in quo etiam nos vivimus. Aqvæ superiores ab inferioribus per expansum intermedium sunt divisæ; per illas intelligi aquas, super omnes stellas fixas locatas, adeoque super omnes coelos depositas, ex textu non probatur. Sententiarum autem de his aqvis sunt divertia: Nonnulli etiam Nostrarium Theologorum intelligunt nubes pluviales, alii aqvas super nubes adhuc rariores. Si apodiſtice probatum esset, planetarum maculas quasdam pro maribus habendas, eorumque corporibus & globis multam vim humoris inesse, commodissime per aqvas supra cœlos, & per expansum à terrestribus divisas, intelligerentur eæ, quæ corporibus cœlestibus cesserunt, quarum pars opposita terrestri globo incumbit. Tertia feria five die Martis Deus aqvas in terræ superficie obvias, & quæ in regionem superiorem non abierant, segregavit, certisque locis inclusit & à continenti separavit. Eadem feria terra protulit fruges. Die Mercurii ad summi Artificis nutum varia ex ingenti illa atomorum massa, accedente luce primigenia, prodierunt corpora cœle-

cœlestia, & in illis ob præcipuum usum apparuit Sol & Luna. *Die Jovis* animalia sunt producta, nec non *Die Veneris* & in specie homo. *Die Saturni* Deus quievit. Et sic dierum sex intervallo, immensum hoc mundi theatrum singulare ordinatum arte & admirando artificio perpolitum fuit. Et sicut in prima creatione ex particulis illis minimis indigestis, corpora omnia sunt constituta & composita, ita & adhucdum obtinet, ut ex atomis diversis diversimode combinatis, corpuscula; è corpusculis junctis & coagmentatis corpora minora, ex minoribus medicoria, & his majora & tandem maxima constituantur, non aliter atque è literis alphabeticis aliter atque aliter juxta se positis, diversissima vocabula coalescunt, longeque dispare rerum conceptus inferuntur. Non etiam existimandum, quasi molecularum commixtio & combinatio, earundemque segregatio, uno quasi actu perficiatur, cum antequam corpus mixtum emergat, vel etiam destruatur, innumeræ alterationes, substationes, &c. contingent, idque tot mutationibus molecularum perficiatur, ut de numero ineundo, aut observatione constanter instituenda, labor proflus desperatus sit extitrus; illæ interim molecularum atomorum in corporibus quoad motum, numerum, combinationem, dissociationem, variationes & mutations, constantem, & ab omni parte perennem particularum emanationem conjunctam habent, quod sicuti in primo Capite Dissertationis prioris, à priori demonstravimus; ita in secundo & tertio Capite à posteriori hoc evictum dedimus in corporibus mundi totalibus, de quibus & ratione & experientia constat, quod atmosphæra sua gaudeant, quæ proxime cuivis corpori mundi totali adjacet, in quam fiunt ejus evaporationes. De globo terrestri vel sensibus hoc compertum est, quod sit commune evaporatorium, è quo continuo omnis generis effluvia exhalant, & in sublime attolluntur, quæ materiam meteoris variis, igneis, aëris, aquaeis, in distinctis regionis aëreæ partibus generandis, præbent. In Capite tertio, variis adductis argumentis ostendimus, cœlum quoque & sidera generationi, corruptioni & alteracioni esse obnoxia, siccique ejaculations varias & exhalationes continuo ibidem contingere, non solum in corporibus planetariis opacis, & lumine

proprio destitutis, sed etiam in ipso solis corpore lucidissimo & stellis fixis naturam solis referentibus. Ex quibus omnibus ibidem de effluviis corporum cœlestium adductis, appareat: Qvod, licet aliquis dicat, in Scriptura sacra tam clare revelatum non esse, quid de cœli corporumque cœlestium essentia nobis sentiendum sit; illud tamen à nobis, observationes cœlestes à recentioribus Astronomis & Physicis institutas, perpendentibus, tuto affirmari posse: Qvemadmodum terræ atmosphæra adscribitur, ita reliqua mundana corpora etiam atmosphæra esse prædicta, cum non secus ac terra effluvia materialia emittant, quorum, et si forte aliqua pars, juxta Astrologos, qui id contendunt, inde abire longius ad nos, atque operationes quasdam exercere, variosque in sublunaribus effectus edere, humores nempe augere vel minuere, mixtorum crasis efficere, aërem commovere, frigus intendere, æstum excitare, diversitatemque tempestatum & temperamentorum causari, dicenda sint; non secus ac telluris effluvia, vel halitus præsertim leviores, vel vehementiores, quales sunt sulphureorum & nitroforum subtilissimi, cum reperciens telluris luce, usque ad planetarum spheras ascendere, non improbabile quibusdam, inter alios etiam WEIGELIO videtur; major tamen illorum effluviorum pars, propriis corporibus, pro ratione insitæ gravitatis adhæreat, & atmosphæram constituat, ut adeo unumquodvis corpus cœlestis suam possideat atmosphæram, & hinc innumeræ in cœlo atmosphæræ dentur, *Lunaris, Mercurialis, Solaris, Jovialis, Saturnina, Algistica, Canicularis, &c.*

CAPUT IV.

§. I.

Ut vero jam illud fiat magis clarum, quod diximus de effluviis sive corpusculorum emissionibus, sciendum est, non modo quodlibet corpus mundanum magnum, ut hactenus evicimus, exhalare, sed etiam quodlibet animal, quamvis planam; nec tantum animata, sed etiam inanimata, imo durissima quæque & densæ solidæque texture corpora, lignum, lapides, metalla, & omnia etiam artificialia, quod nunc de singulis à post-

posteriori speciatim, & breviter probandum est, quo propius demum ad operationes & phænomena ex Atomologia enucleandas, accedamus.

§. II.

De animalibus res aperta satis esse videtur, multiplice experientia innotuerunt phænomena, tam in regno animalium ratione destitutorum, quam rationalium obvenientia, quorum causas à subtilibus emanationibus, quas vulgo vocamus effluvia, & qualia copiose eadem ex se emittunt, derivandas esse, ecquis dubitare poterit? Videmus hoc clarissime hyberno tempore, dum denudato, in frigido loco, corpore, halitus ex poris copiose ascendunt; æstivis vero diebus, sudoris particulae ex patentibus ipsis meatibus ubertim extillant. Sic de ALEXANDRO MAGNO referunt Historici, quod svavem atque gratum spiraverit odorem, qui in atomis profecto, & corpusculis transmigrantibus è corpore ejus per transpirationem in alia corpora & nares excipientium, consistens, leni affictu narium fibras & nervos vellicavit, & svavitate sua sensorium affectit; Et quod mirantur Phycisi, cadaver ejus tam svavem sparsit odorem, ut aromaticis speciebus refertum esse judicaverint. Vid. LE GRAND *curiosus rerum abditarum scrutator p. 133.* Alii quidam hominum spirant halitus maxime foetidos, quorum sine dubio graveolentia debetur vitialis pulmonibus, vel aliis corruptis humoribus, & particulis sanguinis valde noxiis. In cute manuum & pedum hominis observavit DN. GREW ope vitri, pores largiores & ampliores, magisque notabiles, quam in reliquis partibus, quibus præter alias usus, etiam hunc assignat, quod pori ita in his partibus constructi, admodum bene convenient ac viam aperiant evacuationi particularum sanguinis magis noxiarum & perspirabilium, copiose ad eos advestarum, unde esse conjicit, quod sudor pedum in plurimis, nares magis offendat, quam qui ex alia corporis parte prodit. Vid. AELIA Eru-ditorum Lips. Anno 1685. p. 518. Dantur animalia bruta, qua foetent gravemque & teturum gignunt odorem, ut simi, qui foetidos emitunt halitus, quem experientur ii, qui in aulis magnorum Principum & Regum, visendi gratia, ingrediuntur ea

loca, ubi animalia ista affervantur. Ex quibus pater exire ex animalium corporibus istiusmodi exilissimas partes, hinc inde agitatas, quæ effectus sœpe varios producunt; quinimo particulae, ex quibus corpus constat, successu temporis abeunt, novæque illis succedunt, unde certum, hominem per ætatem suam, corpus aliquoties mutare. Videmus homines & bruta animalia, deficiente alimento, perire; & experientia docet, per emanationem & transpirationem sœpius largiorem, effluxis particulis, corpora cuiuslibet regni, vel vegetabilis, vel sensitivi, vel animalis, arefacta, exsiccata, & emortua conspici; consistunt enim horum corpora in perpetuo fluxu, qui, nisi novæ materiæ accessu restauretur, exhaustus tandem totam sensibilem molem, adeo, ut proinde verosimillimum sit, nos vix nunc idem corpus circumgestare quod ante aliquot annos habuimus; immo nec prorsus absurdum jam videbitur cuiquam paradoxon illud, quando dicitur: senis corpus antiquius non esse, adolescentis, & hominem dum incipit vivere, simul mori. Hinc demonstravit BORETTUS *in opere posthumo, de motu animalium P. II.* Eadem lege naturæ, qua aliquod animal gignitur, crescit & nutritur, idem dissipari & destrui, modumque nutritivum in eo, sine destructivo concipi non posse, sed se mutuo fovere & juvare, unde SANCTORII doctrinam, *de insensibili transpiratione*, præclaram innuens, necessitatem hujus evacuationis pro vita animalis perpetuanda, summam exponit. Vid. *Acta Eruditorum Lips. Anno 1683. p. 67.* Nisi etiam per continuas evaporationes, multum materiæ sensim elaberetur ex corpore, quomodo adigeretur illud tanto latrantis stomachi stimulo toties ad cibum & potum? Qventa autem sit in corpore humano transpiratio, quam Medici insensibilem vocant, ingeniosissimi SANCTORII eam accurata libra examinantis, dexteritas, nos non patitur ignorare. Quodsi enim sua alimenta ante comedionem quis ponderaverit, atque excrementa quæ inde fiunt, simili expenderit modo, hæc multo leviora deprehendet, quam ista; Et quamvis concedamus, esse hinc, quod corpora crescant; attamen, si ponamus, aliquem justæ ætatis, cui nec augmentum in longitudinem, neque in crassitatem amplius fieri potest, constabit experientia.

experimento fides; multum enim ex illo consumto pabulo per sudorem emititur, plus autem adhuc per exspirationem perpetuam & insensibilem prorsus emanationem; corpora enim omnia hominum & brutorum animantium, etiam praeter crassiores halitus, à se diffundunt etiam subtiliores, alias spiritus dictos; aliquid vero assumentorum ciborum & alimentorum hæret, & jacturam partium antiquarum, quæ etiam in solidioribus texturis contingit, reparat, impletque adeo & occupat loca istarum partium sive crassiorum, sive subtiliorum, quæ diversis motibus agitate & concussæ fecernuntur & in auram abeunt. Et quoniam vix dantur corpora, quorum partes constituentes, propter irregularitatem vel differentiam figurarum, invicem se ita possunt immediate tangere, ut nulla relinquantur intervalla vel pori, è quibus reliquæ particulæ, quæ propter exilitatem, vel non adeo firmam, quam cum majoribus vel fixioribus corporum partibus, ad quas pertinent, habent cohærentiam, evolare & facilius agitatæ, à reliquis per calorem vel alia agentia separari possunt; utique magnus inde corporum subtiles emittentium emanationes numerus existet. Imprimis hoc etiam in humanorum reliquorumque animantium corporum compage observare licet, quæ poris suis distincta est, quamvis unius animalis cutis præ alterius cute magis compatta est. Sic canes non facile observantur sudare, quoniam compactam nimis cutem habent, quæ halitibus illis vaporosis crassioribus viam præcludat, non tamen pororum meatus ita angusti sunt, quin à subtilioribus effluviis penetrari queant. Sic hominis cutem adeo porosam fecit natura, ut si eam per præstantiora microscopia intueamur, in unico punto multoties appareat perforata. Unde videmus non incommodè à quibusdam, ad tales emanationes corpusculorum per poros, referri quoad bonam partem, causas inclinationum & averfationum naturalium, quas homines nonnulli interdum concipiunt sine ulla cognitione saltem sensibili, dum incitantur ad hominem unum magis quam alium, etiam non cognitis meritis, a mandum vel odio habendum, & ad omne illud, quicquid talis agit, sive ut pulchrum & bonum laudandum, sive ut malum & ingra-

ingratum vituperandum; Qvamvis homini ut creaturæ cæteris nobiliori, preter incitamenta hæc communia, insuper concessa est facultas etiam alias causas existimandi. Ita experientia docet: quod sœpe duo homines, primo statim consperetu, mutuo amore se complectantur; cum ē contrario alii naturali odio se prosequantur. Hæc phænomena vero per illam naturæ clavem, i. e. ex atomis etiam resolvi posse putant, nempe per transpirationem & respirationem effluviorum, magno agmine ex corporibus utriusque egressorum. Ex uno corpore emanant atomi & in alterius poros se infinuant, atque ad interiores corporis partes penetrant, ibique sui simillimum quid, vel diffimillum offendunt, & per contactum eum amor vel odii motum excitant. Considerantes etiam respirationis in animalibus negotium, patet, aërem hunc copiosissime intrare ipsorum corpora, & non tantum cum massa sanguinea, verum etiam cum reliquis corporis succis partibus que communicari; Dum ergo unius corporis effluvia ē poris egressa, cum aëre commiscerentur, & vero aëris haustu maxime cum reliquis animalibus indigeat homo, ita ut eodem carere non possit, facile patescit, quantopere unius hominis corpus actioni effluviorum, quæ ex alterius hominis corpore egrediuntur, sit expositum. Alii hos passionum motus, quorum causas multi cum MARTIALI juxta illud:

Non amo te Gehazi, nec posse dicere quare?

Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Item cum dicitur:

Quisquis amat Lustam, Lustam putat esse venustam
 prorsus latere existimant, inde resultare dicunt, quod organa sensoria ita afficiantur vel ab hominis figura, vel à voce, vel à motu, situ, habitu totius corporis, ut inde nervorum ope, cerebri partes disponantur, spiritusque ibi residentes commoveantur simili modo, quo ab objecto quopiam, quod ante amavimus vel aversati sumus. Objecta enim, quæ sensus nostros afficiunt, movent quasdam cerebri partes nervorum beneficio, certasque in eo plicas faciunt, quæ quando ab agendo cessat objectum, evanescunt, sed pars ea cerebri, in qua recepta

ceptæ fuerunt, manet postmodum disposita ad plicas eo pacto
denuo recipendas, ab alio quovis objecto, quod sit priori qua-
dantenus simile, atque sic simili modo vel gratas, vel ingratas
nobis impressiones, vel imaginaciones faciat, à qua impressione
vel phantasia, mirabiles deinde mutationes & effectus prodeunt.
Sed dicunt nonnulli Atomistæ: si quis hic quærere vellet, quæ
ratio sit, quod organa sensoria, cum corporea sint, ita affician-
tur, ut cerebrum movere, & impressiones facere possint? li-
quere: illud per contactum corpusculorum ex alio corpore
advenientium, & alterius organa ferientium, fieri debere, &
sic recurrentum esse ad atomos. Videmus sèpe, homines ad
præsentiam alterius magnis convulsionibus distorqueri, vel ob-
jecti alicujus præsentiam, et si in oculos non incurrat, signo
quodam percipere. Sic quando bini, qui animos invicem in-
fensos & exulceratos gerunt, contingunt atmosphæras suas, sè-
pe magna fit spirituum conturbatio, corporisque convulsio,
quæ à spiritibus, sive corpusculis illis minutissimis, quæ è cor-
poribus emanant procedere posse, quis ambiget? spiritus enim
amicorum & inimicorum immiscentur, ex inimicorum igitur
cum nostris concursum, horror oritur, particulæ enim hetero-
geneæ se divellunt, corrodunt, destruunt, ut inde averstationes
& dissensiones exsurgant; quamvis non negaverim, hos effe-
ctus, ut & desideria & fastidia aliarum rerum, de quibus infra,
interdum contingere etiam posse per solam recordationem,
sive à nobis producuntur, sive ab objecto ipso aut alijs stimula-
tam, cum objectum tam alte inhæreat memorie, quod antea
vel ad voluptatem, vel ad horrorem mentem disposuerat, ut
spiritibus iisdem viis ad fluendum inclinantibus, similis redeat
fensatio. Ad emanationem atomorum etiam pertinent, quæ
de fascinatione, quæ per oculos fieri dicitur, referuntur, &
cujus quoque VIRGILII mentionem facit:

Nescio quis teneros oculis mibi fascinat agnos
Quæ aliter explicari vix possunt, quam per emanationem ma-
lignantum atomorum, quibus corpora imprimis teneriora, &
ad læsionem aliquam suscipiendam, quandam dispositionem ha-
bentia, affici possunt; oculi enim sunt valde spirituosi, & si

pravis scatent humoribus, effluviis suis acutissimis & acerrimis in alia membra, propter moliores cuticulas, id efficere possunt, ut facile offendantur. Sic experimur, anus halitu, & aspectu, infantum corpora offendit, & infectionem contrahere; quantum spiritibus nocentioribus, qui partes affligunt, percutiuntur. Immerito tales effectus magicis incantationibus, & aliis Diaboli technis statim adscribuntur; materialia in multis hic praesto sunt effluvia, activa sua virtute praedita, quæ talia in corporibus producere possunt, quemadmodum & universa natura, in suis operationibus, reali agentium ad passiva applicatione procedit. Qvanquam in omnium particularium consideratione, multa obveniant, ubi cum ERASMO conqueri oportet: *Ese que mirari nos natura voluerit, scire noluerit.* CHAUVINUS narrat de Nobili Parisino, qui adeo acres emisit ab oculis vapores, ut conspicilla excavent & tandem perforent, & inutilia brevi tempore reddant. Idem de alio sene narrat, prout refert JOH. EBHERARDUS SCHWELINGIUS in *historia Sympathias & Antipathias Physice explicata* §. 38. qui addit: *Valde admirandum esse, vapores corporis sic aqua forti & reliquis acribus, fortiores & validiores esse, quippe que nullum talem effectum in vitro producere possunt;* quamvis dicatur: mulierem, quæ menstruum patitur, fulgorem politi speculi posse hebetare, ut ipso aspetto sordescat, & sanguinis vapor inhæreat. Et certe non vana est perswasio eorum, qui magnam oculis inesse efficaciam statuunt, nam oculo proximum necare possumus & recreare, quod in proverbio dicitur. Est enim index animi, neque tamen signum modo ejus ostendit, sed reali aliqua emanatione proximum vel prosternit vel erigit. Imprimis hæc res patet in amore, unde OVIDIUS canit: *Oculi sunt in amore duces.*

§. III.

Mirabilem effluviorum ab homine descendantium effectum exhibet herba illa, quam *sensivam* appellant Auctores, alii *pudicam* vel *pudibundam*. Doctissimus LE GRAND in *Histor. Nat. Part. VII. Art. V.* p. 297. *Pudifetanam arborem* vocat, quæ ad hominis accessum, vel si levi faltem manus quodam contactu tangitur, folia ad se quasi retrahit, contrahique videtur, nec prius expandit.

expanditur, & priorem situm occupat, quam subducta fuerit manus, & homo discesserit, cuius causam ponimus in corpusculis halituum calidiorum ab homine prodeuntium, qui vel levii appulsi plantam iedunt, & contractionem causantur; existente autem singulari pororum & nervorum raritate & tenuitudine, facile idcirco planta reficitur, ejusque textura à succo alimentoso restituitur, vide de hac planta P. GASP. SCHOT-
TUM in Mag. Univ. P. IV. L. IV. p. 432. Ad eum etiam modum effluviis assignari debet, quando in speculo permanet macula venenosí oculi, vel simul aliquo morbo infecti. Sic dantur communica-
tiones valetudinis & morborum, corpora enim patula & per-
spirabilia existunt. Qvare Rex David senio debilis, in adju-
mentum virium & caloris assulmis virginem adolescentulam
secum pernoctaturam. Sic morbo aliquo laborans alterum
potest afficere; corpuscula enim ex corpore maligno egrella,
intrant spatiola & poros alterius corporis, & quoniam ex he-
terogeneis constant particulis, pellunt & expellunt alia, ex qua
deinde pugna, infestio, corruptio & putrefactio exoritur. Sic
pediculi jamjam morientium corpora reliquere dicuntur, un-
de præfigium mortis aliqui carpunt, quod utique humorum
corruptelis, indeque subortis per totum corpus putridis efflu-
viis, pediculos fugantibus, adscribendum est, nam talis emissio
halituum, quamvis interdum ex una parte corporis copiosior &
fortior sit, ex singulis tamen poris, quos homo in cute habet,
effluxus fit, qui interdum in humanis etiam corporibus tam
vehemens contingit, ut eadem ignem & scintillas fundere vi-
deantur. De ALEXANDRO MAGNO referunt etiam Historici, qui
in prelio cupiditate bellandi flagrans, scintillas emisit; aliquando
cum Indis acerime pugnans, tanto ardore in certamine
exarsit, ut totus igneis flammis fulgere visus sit, cuius aspectu
perterriti Barbari, Victoris occupare gratiam, seque dedere co-
acti sunt. Vid. LE GRAND curiosus rerum abditarum scrutator p. 141.
Sic legi de Doctore quodam Medicinæ Svecico, HOFFWENIO di-
cto, quod noctu aliquando ad ægrotum quendam curandum
abiturus, in via incalescens, protensa nuda manu, jussit ser-
vum respicere, simul interrogans, num quid videret? ubi al-
ter respondit: video mihi videre manum igneam qualia ex-

empla emissionis igneæ è corpore certorum hominum, plura apud Historicos inveniuntur. Igneos halitus è corpore Julii exiisse narrat VIRGILIUS:

*Ecce levis summo de vertice visus Juli
Fundere lumen apex tactusque innoxia molli
Lambere flammae comas & circum tempora pasci.*

§. IV.

Neque vero de homine solum experientia docet, quod copiose effluvia è corpore suo emitta, unde tot mutationes in aliis corporibus eveniunt; sed brutorum etiam animantium corpora si intueamur, non minus singularem in iis reprehendimus capacitatem & sua emitendi, & alterius corporis effluvia recipiendi. Satis enim exploratum est, brutorum corpora esse valde porosa & receptaculis hiantibus undique referta, ut non solum effluvia, quæ diversissima semper in aëre occurront, jam salutaria jam noxia, ipsorum corpora intrare, & non tantum cum massa sanguinea, reliisque corporis succis partibusque, communicari, vel etiam sensuum in iis externorum structuram tenerrimam, & subtilissimarum fibrarum textura constantem, movere & afficere, sed etiam variæ generis profluvia ex eorundem corporibus emanare possint. Atque sic quod paulo ante de emissione hominis ignea diximus, idem in nonnullis animantibus brutis reprehendere licet. Sic memorant Historici eqvum ALEXANDRI MAGNI prælium ineuntis, scintillas emisisse; Et in collis equorum fæpe ignis lambens videtur, cum citato motu incaluerunt; nempe pinguisimæ & viscofæ exhalationes per sanguinis commotionem è corpore erumpunt, ignisque quandam speciem præ se ferunt, qui tempore noctis imprimis, conspicuus redditur. Ob eandem rationem felis dorsum, quando manu vehementius ultra citroque in tenebris afficitur, scintillas emitit, quæ ex viscidiорibus spiritibus per affrictum pellis copiosius eductis, gigantur. Et mirari licet, quæ alias de esu cati nigerimi adducunt Scriptores, quod nempe ad infaniam homines ducat; que in modum PONZETTUS cati pilos venenosos esse

esse prodidit, ejusque anhelitus febrem hæticam inducere, de quo videatur LE GRAND *in curiosa rerum abditarum perscrutatore* pag. 239. Conf. etiam STURMI *Phys. Ecl. Tom. I. p. 454.*

§. V.

De cæteris animalibus idem valet: Qyanta enim ipsa habent effluvia vel hinc manifestum est, quod non solum ex toto reliquo corpore halitus emittant aëri interspersos, sed quoque per pedum plantas tam fortiter possint solum afficere, ut à canibus venaticis ipsorum præsentia ē longinquò percipiatur, qui vestigiis illis inhærentes, eorum viam explorant, vide de his BOYLE *in Exercit. de mira subtilitate Effluviorum* pag. 17, 29, 30. Sic in loco, ubi per transcursum perdisis vel fere in venatione agitata, vestigium impressum, per spatium aliquot horarum, effluviorum corporeorum scaturigo permanet, ut canes sagaciore naribus hoc percipient, & fere prætergressæ admoneantur. Sic iidem canes odoratu acutissimo pollentes, atomos, in vestigiis pedum à Dominis relietas, percipiunt, easque sequentes, etiam inter mille hominum, Dominum inventare possunt. De cane Nobilis alicujus narratur, quod, cum alias convevisset, omnes peregrinos & sibi ignotos homines latrato invadere, filium tamen illius Nobilis ex peregrinis regionibus reducem factum, & nunquam ante se vistum, non latrato sed blandimentis, sub primo aspectu, exceperit; Nisi hic ad effluvia à cane odoratu percepta, quæ impressionem gratam fecerunt, recurramus, explicare hoc phænomenon non poterimus. Quid effluvia valeant in brutis, observare etiam possumus tempore, quo in concubitum mutuum ruunt, dum mas sceminae effluvia, quæ tum exspirat, ē longinquò percipere & solo olfactu, quo bruta animantia homines superant, indagare valet, quod indicio est, illa effluvia peculiares & proprias possidere qualitates. Huc etiam pertinet, quod corvi, corporis morituri foetidum odorem ē longinquiori spatio percipient magis, quam quidem homines, licet prope maneant; idcirco videmus, corvos corporibus equorum viventium quidem adhuc, sed morti proximorum, catervatim insultare, percipientes nempe corruptionem & foeditatem magnam corporis morituri,

C₃

quod

quod mox futurum est pabulum, quo avide pascantur; hinc etiam observatum est, eos ē longinquo ad cadaver accedere, & s̄epius super tectum stabuli, in quo bestia moritura ægrotat, vel volitare, vel crocitare, insectando foetida & putrida effluvia, quæ ē longinquo percipiunt. Talium effluviorum in brutis efficaciam præfertim magno numero conjunctorum, valde auget aer, ceu vehiculum celere, fumulos & halitus, quibus imbuitur, ad sensoria majori impetu deferens, unde aquilæ multo longius odorantur, vento à cadaveribus sibi adverso: carent etiam venatores ea locorum parte retia exponere, & canes venaticos ad indagandas feras emittere, qua venti captandis feris adspicunt. De lupo creditur, si prius hominem est intuitus, eum efficere mutum, vel rauidinem ipsi inducere, ad quod alludit Poëta:

Vox quoque Marin

Jam fugit ipsa: Lupi Marin videre priores.

Quodsi verum est & semper contingit, dici potest, ejaculari lupum avido suo intuitu venenum per oculos, illudque conspecto homini ingerere. Sed experientia inducit, multi hoc vanam esse persuationem affirmant. CAMERARIUS horar. successo. Cent. I. c. 23: *Fabulosum hoc esse pronunciat, quod vulgo creditur & ja-*
gatur. Illud verum est, pariter hominem affici posse conspecto lupo, sive ipsum lupus, sive ipsum lupum prior videat; nec fidem superare videtur, lupum homini ex propinquio sibi obvio, per halituum, qui ex eo emanant, contagionem, postquam illum sangvine hominis tanquam heterogenei, & naturæ adversi commiscerentur, horrorem incutere posse. Videatur etiam LE GRAND H. N. p. 95, qui phænomenon hoc, si aliquando contingat in homine, interventu timoris provenire statuit, dum de se ipso & grege minis sollicitus homo, metu corripitur, unde ob turbatam instrumentorum, quæ ad formandam vensem, à natura data sunt, dispositionem, quam explicat, raucedo facile induci possit.

§. VI.

Huc etiam retuleris, quæ narrantur de malignis atomis basi-
 liscorum, funestam perniciem corporibus animantium, quæ tan-
 gunt,

gunt, inferentibus; hinc serpentem quantumlibet magnum, immisso halitu, suffocare, inque hominis forte conspecti corpus, tam pestilentem & acrem spiritum exhalarē dicuntur, ut verno isto penitus infectum, animam efflare necesse habeat. De dentibus viperarum, & canum rabie correptorum, comperatum est, quod contagium in facto vulnera spargant, noxamque brevi tempore per atomorum malignitatem inferant, tenuissima enim illa atomorum corpuscula, quae in carne lacerata relinquantur vel etiam solum inspirantur, vid. BOYL. c. l. pag. 37. totum corpus pervadendo, illud contactu suo corrumpunt. Qva pacto etiam stupor à piscibus quibusdam manibus percutientium inducatur, de quo referunt non tantum Veteres, sed etiam Recentiores, ARISTOTELES, PLINIUS, BOLEUS, vide apud Doctissimum Jo. BAPT. DU HAMEL *Phil. Ver. & Nov. T. IV. p. 435.* Causa aliter vix erui potest, quam quod è piscibus per iictum exacerbatis, exeunt particulae venenatae exiles, quae in emissione vehementius agitatæ, musculos & fibras nerveas penetrant, easque acrimonia sua contrahunt & occupant, sicque stuporem inferunt, conferatur etiam P. GASP. SCHOTTUS loco ante citato pag. 416. Consideratione etiam digna sunt, quae passim de mutua rerum inter se amicitia & inimicitia adducuntur. Sic inter lupum & agnum maximam intercedere antipathiam dicunt, quae tamen naturalis discordia, si qua est, comode fatis per effluvia explicari potest; ovis enim, si lupum etiam non prius, ut ajunt visum aversatur, id inde est, quod effluvia è lupi corpore exeuntia & in sensoria ovis ingressa, moleste hanc afficiunt, spiritusque ejus in cerebro contentos, ita concitent, ut ad fugam arripiendam, totam corpoream machinam compellant: Et mirari licet, quod à nonnullis obseruatum, illam inimicitiam, si ita loqui fas est, inter ovem & lupum, ne per mortem quidem extingvi; nam chordas ex lupi & ovis intestinis confectas, in instrumentis Musicis, minime concentum, sed dissonantiam reddere, imo agninas chordas à lupinis corradi & consumi dicuntur. Scilicet atomi heterogenei ex lupi funiculis emanantes & non correspondentes cum agninis chordis, has confringunt & destruunt. Qvanquam hanc inimicitiam & aversationem, ut vulgo quidem sit, mutuam vocare,

care, conveniens non videtur, cum ovis quidem lupum horreat, minime vero lupus ovem, quam potius, ut gratissimum sibi alimentum, quo delegetur, avide prosequatur. Quando autem atomos ē lupo egressas, ad horrorem ovibus incutiendum, easque ad fugam disponendas, idoneas esse diximus, fit illud ad similem modum, quo bestias sibi similiū interfectores adversari, eosque vel fugere, vel etiam suo modo persequi deprehendimus. Sic observatum, grēgem aliquando sūm in pagis, prætereunte lanione, grunnitum edere & arrebitis auribus stāre, ac si invasionem facere in eum velint, qui quidem grunniunt & obtutus insolitus, adscribi potest effluviis sanguinis interfectorum recens sociorum, quæ in vestibus & manibus lanionis remanerunt, & à suib⁹ percepta, ipsorumque spiritibus permixta, magnam horum commotionem excitant, ingrataque impressionem faciunt, similemque spirare cædem videntur. Probabile etiam & vero quam maxime consentaneum videtur esse, posuisse Deum convenientiam vel inconvenientiam inter brutorum organa, & objectorum actiones, per sensus externos ope nervorum in cerebrum traductas, quibus aut offensa ad dolorem & fugam, aut svaviter affecta, ad prosecutionem determinantur. Boves ad lanionis aspectum, saepe ita vehementer conturbantur, ut cornibus pedibusque renitantur, ne tangi ab ipso, & ad maestatationem duci possint. Cujus rei exemplum hic loci vidi in bove maestationi destinato, quem aggredi lanio ante non fuit ausus, quam colligatis pedibus cum capite frustra lanioni resisteret; Et cum deinde bos uno iū non prosterneretur, in magno vitæ periculo lanio cum socio erat. Causa averisionis, & quod à lanione saltem bos se comprehendendi vel tangi passus non sit, fine dubio erat, quod effluvia interfectorum nuper boum vescimenti lanionis adhæserint, quorum ut jam corruptorum perceptione sensus ita afficiebantur, ut horrore metuque angeretur bos; cum enim per violentum motum occisa ante corpora agitata fuerunt, intrant atomi in poros corporum viventium & ea afficiunt, ut ex dissimilitudine particularum sentiant, quod naturæ contrarium est, & quod violento agitatum est modo. Sic porcum videmus cum socius coram ipso à lanione

nione mactatur, horrore & metu agitari, si incursu suo socium juvare non audet. Boves in locis, ubi cadavera deglubuntur, vel similium sanguis profusus est, cum horrore boatus edunt; alligati & servati in locis, ubi boves ante mactati, ne pabulum quidem contingere & insomnes noctes traducere dicuntur. Sic alii canem, cui à canicida sectio sub lingua facta fuit, ne rabie corriperetur, unde canis tam hostilem sensit impressionem, ut postea ad præsentiam prosecutoris se tanquam conscientia actorum componeret; nam si vel procul vidisset, vel curru vectum, et si non visum, audiisset canicidam, aut etiam in remotis à visu plateis, ipsum & canes ejus odoratu saltem percepisset, adeo angebatur metu, ut anxius latibula quereret, ubi se absconderet. Apposite ad hanc rem sequentia habet G. W. WEDEL in *Phys. reform.* p. m. 183: *Subtilior est contactus spirituum & effluorum, quam ut sensibus exhausti possit. Exemplum prebeni bruta, ita ut canes locum vitent ubi male semel accepti, ut boves in locum mactati bovis progressi bovent; ut homines in locis, ubi violencia morte quis peremus fuit, timeant, ignari cause &c.* Hæc & multa etiam alia, quæ in animalibus contingent phænomena quoad bonam partem ex atomorum doctrina dilucidari possunt. Quis etiam ambiget, rationem antipathias, quæ inter homines quosdam & felem intercedit, hinc derivandam esse? Multi enim felis etiam nondum visæ præsentiam tolerare nequeunt; nempe feles effluviis suis aërem circumquaque replet, quæ per habitatum attracta, irritant temperamenti qualitatem; vel etiam appulsi suo fibras nervorum sensoriorum reliqui corporis attingentia, disproportionata sua sensoriis actione, impressiones faciunt, nature illius hominis prorsus exosas. Nec dubium est aversionis naturalis, quæ inter quædam bruta intercedere dicuntur, causas inde pari modo posse detegi THOM. WILLIS de *anim. brut.* C. 8. p. 68. sqq. inter admiranda antipathias, cum objecta quædam ex te infontis, imo plerisque pro delitiis expectenda, quibusdam horrenda evadunt, refert: *Nonnullos angvillam, atque alios, patinam hoc a: t illo carnis in escam parate membro instruetam, abhorrescere &c.* Sic strenuum agnosco militem multis notum, qui angvillas ita fastidit, ut cibum inde paratum, mihi

D

&

& quibusdam aliis satis gratum, in vicinia tolerare non possit,
sed quamprimum aërem angvillæ halitu repletum inspiravit, à
secreta influentia irritatus, lipothymiam patiatur, nisi disce-
dat, vel angvilla removeatur; aliquando cum de coctis angvil-
lis vel tantillum jusculi superfusi forfissaret, repentina mutatio-
ne perculsus, tantum spirituum deliquium sensit, ut intra ali-
quot dies penitus se colligere nequiverit; Idem miles præsen-
tiā cati nigri à prima pueritia aversatur effectu non dissimili.
Talia phænomena plura industriis naturæ contemplatoribus
occurunt, quæ docent, has alterationes corpori humano va-
riis modis imprimi posse, ita ut effluvia matrem primum fe-
rientia, ad ipsum embryonis corpus perveniant, & efficaciam
in illud traducant: vel alterationes à matribus per imaginatio-
nem fœtui imprimentur; vel etiam post ortum, interdum per
morbos, interdum ex cibi crebrius & copiosius sumti fastidio
excitantur. Sic mihi relatum à Professore Lipsiensi, se oculis
aspexisse ibi hominem, qui feles, vitrum & lapides lupino appeti-
tū devorasset, qui infelix homo ipse narravit, talem appeti-
tum fuisse sibi hæreditarium, quoniam mater, cum utero ad-
huc inclusus fuisset, lupo devoranti ovem, obviam facta, appeti-
tum senserit comedendi de ove, lupo etiam fugato, cibum
sumserit, quo factum sine dubio, ut mater, cum simul cum ca-
davere deglutiisset partem effluviorum lupinorum cadaveri in-
hærentium, mediantibus illis corpusculis ē bestia voraci ema-
nantibus, & corporis, ē quo egressa erant, naturam retinenti-
bus, per esum corpori fœtus tenerrimo, insanum illum appeti-
tum ingeneraverit: Similem hominem, qui res inconvenien-
tes devoraret & concoqueret, nempe frusta fornacis &c ipsem et
Lipsiæ vidi. Ad corporum transpirabilium phænomena in
regno animali obvenientia referre etiam licet, quæ MART. LI-
STER in *Exerc. med. de Variolis* habet; ubi etiam Indos ab Anglis
variolatis per venenosa effluvia infectos fuisse docet. Vid. *Act.*
Erud. Supp. T. III. p. 80. seqv. DN. LEIGH in *Hist. Nat.* testatur: du-
os feles, qui ægrotis variolatis ad latera cubuerant, per suscep-
ta ægrotantium maligna effluvia, correptos mortuosque fuis-
se. Vid. *Act. Erud. 1701. p. 515.* THOMAS WALLIS vero in *Diatr. de*
febribus

febribus Cap. 15. de Variolis, hoc genus morbi homini proprium esse vult, quod *omni*, *soli* & *semel* conveniat; & quamvis *femina* ejus *omni homini* inesse putet, per contagiosos tamen *halitus*, ex uno corpore infecto migrants, nec non per malignam quandam aëris constitutionem, cui pestifera corpuscula innatant, semina latentia affectus fuscitari in homine, humorumque & sanguinis effervescentiam inde oriri, sicque late grassari hunc morbum longiusque dissipari posse statuit pag. 171. seqq. conf. etiam Boyle l. c. pag. 39. Meteoron igneum infolitum in Anglia A. 1695. multa horrea accedit, gramenque & aërem sic vitivavit, ut exinde secuta magna lues pecudum. CAMDENUS multitudini locustarum adscriptis contagium hocce, ē quarum cadaveribus corruptis aërem vitiatum fuisse putat, ut lues inde sit secuta. Vid. *Act. Erud.* A. 1696. p. 193.

§. VII.

Ad alia corpora si deveniamus, animadvertere licebit, magnam continuo corpusculorum minutissimorum copiam ē substantia illorum effluere, ut generalis ratio explicandæ omnis Sympathiæ & Antipathiæ in illis occurrentis, hinc depromi etiam possit. Hæ particulæ in aëre volitantes, pro vario ad reliqua corpora appulsi, diversaque cum aliis mixtura, effectus sape mirabiles producunt; Tanta enim saepe multis effluviis inest vis & efficacia, ut similes edant effectus, quos corpora edere solent, ē quibus prodierunt. Et licet corporum quantitas major, ceteris paribus, insignem vim habeat agendi in alia; nec minus tamen magna perficiuntur numerosa corporum exiguae molis societate, modo in unum eundemque motum consipient, debitumque motus gradum obtineant, ipsæque corporum, in quaæ agi debet, texturæ ita sint dispositæ, ut ad particulas illas poris suis admittendas, ipsarumque impressiones recipendas, sint idoneæ. Sic non mirandum, invisibilis vapores pluvia tempestate in magna multitudine per aëra fluitantes, tumorem conciliare foribus, pyxidibus aliquisque ligneis fabricis, ut difficultatem sentiamus in iis aperiendis & claudendis; Idem vapores in aëre abundantes, ita incrassare & contrahere funes possunt, ut pondus plus quam centum librarum appensum ele-

D 2

vare

vare queant; nec mirum etiam chelyum chordas tensiores relatas, aere humido cum sonitu rumpi. In poros corporum quando se insinuant invisibles tales madidæ aeris particulæ, solent in quibusdam turbulentos reddere humores, atque ad tristitiam aliquam ineptitudinem disponere corpus, spirituum vigorem impediti vaporum densitate & gravitate. Imprimis etiam observare licet exhalationes e corporibus plantarum effluentes, quæ sunt tenuissimæ corporis sui partes, post factam secretionem hinc inde agitatæ, & intra narum cavitatem corporisque poros receptæ, motumque in nervorum fibris excitantes. Ex BORELLI enim sententia, natura in plantis iisdem legibus & artificiis fere operatur, prout in animalibus brutis, ut præter respirationem, licet minus ac in animalibus artificiofam, & transpiratio mollecularum, atque effluviorum emanatio insensibilis ibi detur, à qua, uti vita animalis juxta ipsum conservatur; ita quoque plantarum vita inde pendeat & conservetur. Vid. is in *Lib. de motu animal.* Cap. 13. p. 182. Cap. 14. p. 285. Istæ vero odoriferorum corporum radiationes eo fortiores sunt, quo viciniores illis fiamus. Peregrinantes, qui per Oceanum versus Indiam Orientalem navigant, referunt: quando ab Insula Ceylon, quæ variis aromatum generibus copiose abundat, notabili adhuc spatio absunt, se jam cinnamomi aliorumque aromaticum fragrantia odores naribus suis percipere. COLUMBO Indianorum Occidentalium exploratori felicissimo, venti validius versus Europam afflantes, multaque exhalationes terrestres secum ferentes, indicio fuerunt, regiones alias ultra Atlanticum Oceanum non procul abesse. Ex hac doctrina explicari potest natura admirandorum sœpe effectuum, de quibus si disputare pluribus velimus, latissimus nobis pateret campus. Quid de quorundam corporum vegetabilium odio, ut loqvuntur, vel amore mutuo & naturali habendum sit, vel ex hac doctrina statui potest. Experientia me docuit, quod apud multos etiam legi: vitem nempe brassicam quasi aspernari & aversari, non ex insita & occulta qualitate, sed quod effluvia unius plantæ in aliam agentia, illud causari possint. Equidem dici potest, quod brassica aquosæ substantiæ planta, laxioribus suis pororum meati-

meatibus alimentum copiosius admittat, siveque viti succum nutritium præripiat, quæ idcirco sufficiens alimento destituta, non possit non infeliciter crescere. Nihil etiam obstat dicere, harum plantarum loco vicino consitarum unam nutritioni alterius ideo obstare, quod profluvium ex brassicæ radicibus emanans, particulis talibus constat, quæ radices vitis male afficiunt, easque quoad fibras contrahendo, ad succum attrahendum inhabiles reddunt. Aliæ plantæ confortium amant, qualis amor videtur esse inter *hederam & ulmum*, dum illa in hujus vicinia posita, læte & feliciter provenire observatur, quod certe non fictæ sympathiæ tribuendum, sed effluviis potius, quæ ab uno corpore vicino exhalantia alterius vicini poris excipiuntur, ubi admissa, ob non dissimilem partium internarum constitutionem, in partem nutrimenti cedunt, ut lætior planta exsurgat; vel etiam in alterius radicem se insinuant, obstrunctiones tollunt, meatus aperiunt, ut sic altera, existentibus laxioribus poris, alimentum copiosius admittat, feliciter ex crescet. Qvod poma putrida sinceris propriis admota, hæc corrumpant, halitibus adscribendum, qui ē putridis egressi contactu suo parem putredinem aliis inducent. Palma foemina occulta latentique transmissione halituum à mare communicata, dicitur germinare, foveri, seminaque & fructus proferre; langvere vero & emori, nisi confinio maris gaudeat, nempe halitus à mare emigrantes, foeminam animant, & fertilem reddunt. Mira sunt, quæ de umbris quarundam arborum Scriptores referunt, quot ex quanta symptomata in corporibus viventium excitare possint, adeo ut volucres etiam quarundam arborum contactum fugere dicantur, ita ut iis ne infideant quidem; In hisce phænomenis enucleandis recurrentum ad effluvia, omnisque difficultas ex doctrina haec tenus exposita tollenda; nam halitus venenosos & noxios ex ejusmodi arboribus effluere, quæ corpora animalium graviter affligant, & ingratu suo foetidoque odore, volucres longius abigant, quis negabit? Boyle in *Exercitat.* de *Natura determinata effluviorum p. m. 38. seq. refert: umbram arboris juglandis foliosæ, vehementer lædere caput, & cephalalgiam inferre, quod proprio exemplo expertus sit, qui tamen alias parum*

ista malo fuerit obnoxius. Ibidem mira tradit de venenosa arbo-
re in America, nec non seq. pag. de planta quadam in Hibernia,
quam ipse decerpserit MACBRY vocata, quæ in mortario con-
tusa adeo noxios halitus sparserit, ut Medici cujusdam, medio-
cri distantia remoti caput, & imprimis facies ad enormem de-
formemque molem intumuerit, tumore ad insigne temporis
spatium durante. DN. LE GRAND in H. N. p. 291. se novisse refert
generosum Anglum in Flandria, qui solo pharmacopœa officine odore,
ita commotus fuit, ut laxatum alvum vix continere potuerit. Virgu-
lam divinatricem sic dictam, cum aliis partibus plantarum &
arborum habere vim & sua effluvia emitendi, & aliorum cor-
porum effluvia recipiendi, nemo inficiari volet; an vero vim
& efficaciam habeat, latentes venas metallicas &c. detegendi,
quando impulsu & flumine particularum per poros imprægna-
tæ trahi sentitur, vel etiam alio modo móvetur, res est contro-
versa, & plena dissensionis? Mineralia & Metalla in terræ vi-
sceribus latentia, sunt utique corpora transpirabilia, & per po-
ros terræ magnam copiam particularum transmittunt. Juxta
alios particulae acres seu fucci ē terra ascendentis, simul secum
advehunt in transitu ē visceribus terræ, particulas metallicas,
quæ circa radices montium depositæ, in eorum cavitatibus fa-
cile congregantur, & adjuvante etiam calore solis ascendunt.
SCHOTTUS quidem in Mag. Univers. loco supra citato p. 425. de virgula
dicit: Audacter pronuntio, vim illam conversivam virgula corylacea ad
metalla nequamquam esse naturalem; Sed vel casu conversionem illam con-
tingere vel fraude virgulam tractantis, vel ope Diaboli. Qyamvis ali-
bi nempe in Physic. Curiosa Lib. 12. Cap. 4. annor. ad Coroll. I. p. m. 1532.
universaliiter afferere non audeat, DÆMONEM semper illum effe-
ctum præstare, quoniam certo sibi constare dicit: Viros religio-
sos ac probissimos, experimentum non semel, & infallibili cum successu ten-
tasse. STURMIUS in Philosophia Ecl. Part. Spec. Sect. III. Art. I. Cap. I.
p. 1069. virgulæ hujus usum quoque rejicit, atque eam nihil mi-
nus quam divinam esse, sed vanam & fabulosam credulitatem
& superstitionem, aut Satanæ ludificationes & insidias agno-
scit. Ex Actis Erud. A. 1694. p. 34. constat, in Gallia fuisse valde a-
gitatam hanc controversiam, cum Anno 1692. d. 5. Jul. Lugduni
geno-

cœnopola cum uxore in cella vinaria fuisse obtruncata, & agricola quidam singulare specimen suæ virgæ edidisset & homicidas idetexisset; unde occasione hujus homicidii VALLEMONTIUS, Theologæ Doctor & Sacerdos, scriptit: *La Physique Occulte*, Amstelod. 1693, quæ Germanice fuit versa Noribergæ 1694. Auctor causam omnium phænomenorum ex transpiratione effluviorum deduxit, solumnemque superstitionem in applicatione virgæ abfuisse ostendit. In usu virgæ præcipue requirit, ut subiectum quod illam manu tractat, debitam corporis constitutio- nem habeat. Ultimo notat: homines sangvineos & phlegmaticos ad usum virgæ esse aptissimos, quoniam cholericī & melancholici utpote temperamenti siccioris, halitus se circumstantas, emanatione contraria discutiant, & nimium di- spergant. Anno 1700. novus Auctor JOHANN GOTTFRIED ZEIDLER edidit cum Pref. DN. THOMASI librum, cui titulus: *Pantomysterium oder das Neue vom Jahr in der Wünschel-Ruhe / Halæ*. Hic Auctor VALLEMONTII sententiam prorsus rejicit, effectus vero virgæ non negat, sed aliud principium supponit, scilicet animam mundi, quam pro unico omnis motus principio assumit, à quo etiam virga habeat quod percutiat & inclinet; putat vero virgam talem ad quamcunque rem inclinare & determi- nari posse, sive præsentem sive absensem & remotam, in quam hominis cogitatio & imaginatio firmiter est defixa, animam vero hominis ab anima mundi non divergam statuit, creditque animam mundi per voluntatem hominis virgam regere & ad rem desideratam inclinare: Est vero hæc anima commen- tum inane Pythagoræ & Platonis &c. Alius Auctor THEOPH. ALBINUS edidit 1704. Dresdæ Tractatum, qui inscribitur: *Das entlarvete Idolum der Wünschel-Ruhe / qui iterum & VALLEMONTII & ZEIDLERI hypothesis rejicit, usumque virgæ pro re illicita habet cum Casuisticis, apud quos suspecta & periculosa res habeatur virgula, à qua Christianus abstinere debet, quia plerique non simpliciter virga utuntur, sed incantationes conjungunt, quod omnino detestandum; non negant quidem in totum, per virgæ usum venas metallicas, fontes aquarum &c. inter- dum detegi, sed contingere id putant vel casu vel ope Dæmo- nis*

nis. Ita sentiunt Theologi, DUNTE, BALDUINUS, DANHAUERUS, DEDEKENDUS, GERHARDI, LASSENIUS, &c. Doctissimus P. CLAUDIO FRANC. MILLIET DECHALES in *Mundo Mathematic.* T. III, tract. 17. de fontibus prop. 16. p. m. 124. ubi methodum inveniendi fontes per virgulam coryli exponit, seqventia habet: *In experimento duo me commovent &c.* Semel enim pecunias in terra abscondi de industria, que ab aliquo Nobili me presente ramo coryli inventa sunt; Fontes autem ita eerte inveniebat, ut rotum fontis cursum statim notaret. Hoc me sape ita perculit, ut initio paclum cum Damone suspicarer; Cum tamen nec verba, nec aliud quid reprehenderem, nullum de eo judicium fero. Sunt enim tam multa in rerum natura, quorum causas ignoramus, ut si propterea ea suspecta haberemus, quod caput superant, vix pedem mouere liceret. Adscribam hic, quod ipsem videlicet experimentum: Cum Lipsiae viverem, in Geometria practica usus sum informatione hominis, artis fabricandi instrumenta Mathematica peritissimi, in fodinis Freybergensibus educati, literarum vero prorsus expertis; de cetero, quantum conjicere poteram, inculpate vitae. Ad praedium aliquod, quod Mercatoris erat, milliari distans Lipsia, dimetiendum conductus ille Vir, me & alium studiosum Silesium socios operis adhibuit; Cum vero in horto quodam, herba viridi undique confiso, hinc inde commeando, amissum circulum orichalceum, & dudum sollicitus sed frustra in gramine denso queritasse; dixit mihi estatione sua adveniens informator: Si possem forte in horto ampliori designare spatium integrum, intra quod amissio facta, se mox adhibita virgula coryli mihi restituirum circulum. Nunquam antea inter nos mentio injecta fuerat hujus virgulae, mihi subridenti igitur & verito, ne aliquid fraudis subefset, respondit: Sine omni fraude & dolo tibi restituam circulum. Dictum factum: abscisso enim sine omni superstitione, ramo coryli non bifurcato, sed recto, & manu apprehenso, per spatium illud designatum queritans inambulabat, & cum prope veniret ad locum circuli, dixit: non procul futurum, quia jam sentiret fortiori impulsu virgulam moveri, & cum mox virga ad terram inclinaret, tanta violentia, ut contorsionem impedire nequiret, circulus gramine totus con-

contectus reperiebatur. Hominem me fecellisse, ita ut aliquid fraudis, vel impliciti pacti cum Dæmone intervenisset, mihi persuadere non poteram, siquidem ab omni fraude, superstitione & Dæmonis commercio alienus mihi videbatur, nisi forte verba quædam & adjurationes susurrando adjectit, quod animadvertere tamen non potui; casu quoque mero hoc contigisse, consideranti circumstantias vix erat credibile. Non desunt qui, quando à Viris religiosis & probissimis apud SCHOTTUM & alios, experimenta facta esse legunt, probabile esse judicant, virgulam per impulsum effluviorum, postquam pervenisset in sphærā activitatis rei transpirabilis, ita posse quibusdam inclinari. Alii vero cum motum virgæ versatilis in manu quadruplicem tenentium vident, nec negare audent, solum tamen motum & inclinationem virgæ naturalem esse posse concedunt, ex duplo principio derivandum, nempe ex elasticitate aëris in virga curvata reperti, & calore manus, arteriæque pulsū. Qvod vero talis virga percussione sua latentes metallorum venas & fontes aquarum aliasque res absconditas indagare & indicare dicatur, illud unice vel fraudi & dolo tractantis virgam, vel virtuti Diaboli huic negotio feso immissentis abscribunt, & ad magiam illicitam referunt. Transpirationi vero effluviorum sine dubio, nec soli phantasie aut impressioni tribuendum, quod nonnulli aversentur rapas, caseum, cepas, &c. Ipsum meum corpus mihi exhibet hic experimentum; à pueritia enim ita abhorri à cepis, ut neque odorem multo minus saporem tolerare potuerim; impulsū enim atomorum tam vehementem tamque efficacem percipio, ut nauseam etiam erga delicatissimos cibos, si minimum saltemceparum. adspersum sit, cum summo fastidio & quadam ventriculi irritatione sentiam. Magna fane & mira saepe effluviorum est efficacia. BOYLE in Att. E-rud. 1693. p. 183. testatur: effluvia venenata contagiosa pefcis, muros infecisse maculis. Qvod homines abhorreant à foetore, non aliunde est, quam ab emissione particularum ab objecto male olente; neque tamen omnis res cuique sub pari odoris conditione exhibetur, sed una res huic gratum alteri ingratum odorem parit; nempe ut ejusdem corporis effluvia similes effectus

fectus producant, necesse est, corpora respectu ejusdem actionis, esse ejusdem constitutionis; fieri enim non potest, ut particulae eodem modo possint afficere, ubi contrarias offendunt figuræ & dispositiones partium, quo fit, ut corporibus istis, in quibusq; iisdem effluviis vel similes vel contraria plane excitantur motus, sympathia & antipathia inesse statuatur; Exempla ejusmodi horroris & odii vel amoris plura vide adducta à TALANDRO im Historischen Welt-Spiegel p. 44, seqv. LE GRAND I. c. P. IX. p. 396. Ex adductis autem apparet, quod ante dictum, quam maxime exhalationes percipi etiam odore. Taceo unguenta latissime corpuscula odorifera diffundentia; Spiritus quo dicitur succorum, salium, mineralium, quam cito possint expirare, licet vitra probe obturata sint, eorum volatilitas evincit; quod BOYLE in insigniori salis volatilis massa expertus est in *Exercit. de Atmosph. corporum solid.* p. 3. Ut nihil dicam de aliis rebus, quarum effluxiones absque labore quivis dignoscit. Nonne mala & pyra etiam serotina per hyemem vita redduntur, rugantur, contrahuntur, materiamque suam immunitam esse varietate regumentorum & hiulcante cure sua offendunt? Pomorum cirreorum compuncti cortices, illa magis odora reddunt. In fructibus etiam immaturis & qui odore desituantur, halitus effluvium admittendum, in iis enim dum ad maturitatem tendunt, perpetua internarum partium fit disaggregatio, dum succi crudiores caloris vi agitari, & soluti, laxatis poris sensim exhalant, relictis iis, que fructibus mollitiem & fvatitatem conciliant. Quis non admiretur halitus super omnem imaginationem subtiles, eorumque immensam turbam in Chirotheis mediocri saltu materiae odoriferae quantitate imbutis, item in Musco & aliis materiis sufficienitatem nidulantem, & vel per triginta annos continuo egressu, jugiter odoratus organum, tot agminibus emisis, fvatiter concutientem, ut nihil obstat videatur, quin per plures annos fragrantem illum odorem retineant. Ad stuporem etiam exilia esse oportet corpuscula, partes acarum animalculi illius tantilli, ut oculo nudo dignosciri nequeat, constituentia, immo adhuc exiliores liquores nutritios & spiritus animales, quibus illæ impletæ, & qui per partium nervos continuo commeant.

CAPUT V.

Cum haec tenuia demonstraverimus, corpora tenuia & non adeo solida, esse transpirabilia, jam etiam paucis adhuc probandum erit, corpora quoque dura & solida sive solidiori regamento involuta, effluviis de se spargendis non inhabilis esse, unde adeo de mira tenuitate & subtilitate effluviiorum, de qua ante diximus, magis nobis constare poterit. In corporibus duris, fixis, & ponderosis, etiam tales offendimus saepè effectus, quos nisi à respiratione & transpiratione corporiculorum ad stuporem exiguum, & pororum incredibili tenuitate, derivare non possumus, & quos multi naturalium rerum sagacissimi in dagatores ex eo oriri putant, quod spiritus æthereus, omnibus corporibus mixtis

mixtis infusis, ab uno mixto erumpens, & alteri se intrudens, secum defere tenuiores partes alias sui mixti, illasque introducit in aliud corpus, ita ut sympathia & antipathia in corporibus duris etiam obvia, illis sit dispositio quedam naturalis duorum corporum, cuius virtute in se invicem, vel unum in alterum agere aptum est, medianibus tenuissimis illis corpusculis & atomis, motum aliquem occultum excitantibus; materia enim subtilissima indefinenter omnia corpora pervadens, sua qualitatione, partium minimas, & ad separationem maxime imminentes decutit, atque hinc inde diffundit; vel etiam indivisibilis particula, qua juxta Atomicorum sententiam, vel constantem essentialiter aetuale motum habent, vel etiam si complicata fuerint, perpetuum ad erumpendum conatum, ipsam per concuscionem ad invicem factam soluta, abeunt & evadunt, qua ita à corporibus secretæ diversisque motibus agitate, nomen effluviorum obtinent. Expirationes tales perpetuas, ne gelu quidem in corporibus sifit, quod videmus in glacie; hanc corpus esse summi compactum omnes fatentur; interim si nocte etiam frigidissima frustum glaciei exacte ponderatum imponas bilanci agillimæ, deprehendes, substantiam ejus horarum aliquot spatio esse imminutam, & bonam partem ponderis sui perdidisse. Ne vero quis opinetur partem glaciei fuisse degelatam, durissimo frigore experimentum fieri poterit, & adparebit manifestissime, decrementum ponderis dependere nisi à sola evaporatione partium in auras. Ligna etiam probe jam exsiccata semper adhuc minuit, & ponderis sui aliquid amittere, quounque in loco fuerint affervata, facile experiri licet, si ad stateram examinentur lignæ vasa aliaque ligna solidæ; Cavendum tamen est, ne, dum corporum diminutionem per effluviorum transpirationem insensibilem factam, explorare volumus, ipsa corpora ita collocemos, ut madida aeris temperie exposita, vapores aeris in poros corporis lignei penetrantes, intumescientiam faciant, & defectum ponderis refarciant, vel ipsum etiam corpus gravius reddant. De effluviis, ex corporibus quantumcumque solidis emisis, testantur etiam succina aliaque corpora electrica dura, ex iis enim præcipue affricti excitatis, spiritus & halitus tenues & aliquantis per viscosi atque calidi erumpunt, circumstithum aerem rarefacientes, qui spirituum effluvio diminuto, & aeris vi elistica se restituente, levia corpuscula, paleas festucaeque in quas incurruunt, versus corpora electrica propellunt & velut prædam secum abducunt; si insignior halitum copia emititur, quidam longius avolant odoremque expirant, qui à naribus percipiuntur, quod in *resina*, *sulphure*, &c. observare licet. In succino, & vase vitro parvo & spissio, fine frictione, à radius solis & igne communi etiam, vim attrahendi extatam fuisse, observat BOYLE, ita ut vividores quedam particulari caloris citissime erumpentes, ab aere vicino propter poros dissimiles fuerint repulsi, pilum expositum secum vehentes. Calculorum è vesicis humanis egressorum eti tantam Chymici duritiem deprehendunt, ut difficulter sit resolubilis, experientia tamen ipsos docet, si leviter etiam & non adeo valide confricentur, spargere eos odorem ingratum, vetustæ urinæ factori perfumilem. Metalla duris-

sum in officinis, ubi tractantur, odores adeo graves per diffusum circa se acerem spargunt, ut aliqui diu ibi persistere nequeant Cuprum tam largiter expirat, ut per tractationem hujus metalli longiorem, opificum crines à corpusculis cupreis colore subviridi imbuantur. Ferrum si tornatur, odorem excitat; per ejus trituram quoque aer fœtidis halitibus impletur, sive emigrent à ferro, sive à lapide vel chalybe, cuius ope operatio peragitur; imo opifices quoscunque demum lapides exciderint & tornaverint, experiuntur, illos ad odores suppeditandos apertos esse, quod indicio est manifesto, auram infici & imprægnari exhalationibus eorum; Qvam stupenda esse debeat corpusculorum è durissimis corporibus profluentium, exiguitas, cognoscere licet, si imaginem mirabiles illos magnetis effectus, quod nimur acus, post tabulam ligneam positas, in instanti varie commoveat, quod citra corpuscula quedam subtilia per tabulam poros transeuntia fieri nequit; Et quoniam in instanti materia hæc subtilis non solum vitrum, sed iam tabulam ligneam & solidissima metalla transit, colligit inde TSCHIRNHAUSENIUS in Medic. mentis p. m. 188. subtiliores ejus partes adhuc esse debere, quam materia solaris, que vitrum quidem, non tamen tabulam lignam & metalla in instanti transit. Si in durissimis corporibus talis effluxus non deprehenditur, quia sensibilem jacturam sui ponderis non faciunt, id forte inde evenit, quia exquisitas lances non habemus, ut, si quid sit in minimutum, dijudicare illud licet, cum lances ipsæ & pondera, per transpirationem aliquid substantiæ sue amittant. Nam si aur, vitri, magnetis reliquorumque solidissimorum corporum per transpirationem facta diminutio & ponderis decrementum deprehendi debet, & bilances & pondera, magis fixa metalla & duriora corpora esse oportet, quam sunt corpora ponderanda; cum vero pondera & lances plerunque sunt orichalceæ substantiæ, que minorem fixitatem & consistentiam laxioresque texturas habent, quam corpora ponderanda perfectius mixta, frustra etiam cum illis hæc, quod effluviorum ponderationem attinet, conferuntur. Si autem durissima corpora exhalant, de minus duris dubium vix superesse poterit, qualia sunt fructus corrice graviore & nonnumquam testaceo præditæ, juglandes, avellanae. Huc referri possunt aromatum quedam genera, nuces myristicae, caryophylli, &c, que omnia bilancibus exactis appensa, si per aliquod tempus duraverint, substantiæ sue per continuum effluxum jacturam aliquam fecisse deprehendimus, quod etiam in ovis indumento satis firmo præditis, observare licet.

T A N T U M.



COROLLARIA.

I.

Sol quo terræ propior, eo remissior, quo remotior, eo intensior ejus calor in nostris regionibus existit.

II.

Iridem jam ante diluvium fuisse, ut concedamus, principia optica requirunt, nec textus Hebræus Gen. IX. 13. 14. 15. id negat.

III.

Luna in novilunio multo plenior quam in plenilunio; nec etiam quod plenilunium vocare solemus, re vera tale est.

IV.

Potest fieri, & aliquando factum est, ut Luna juxta Solem stans, in ipso celi medio spectetur.

V.

Luna integra neque oculo nudo, neque armato, ullo unquam tempore, ne per vices quidem, est conspecta.

VI.

Si quis toti globo terraquo suos supponere posset humeros, exinde ne hilum molestiæ persentisceret, unde multi nimis arroganter locutum esse Archimedem putant: Da mihi pedem figere, & terram movebo.

VII.

Umbra videtur ad motum corporis moveri, cum tamen non moveatur.

VIII. Lu-

VIII.

Lucius & Sejus eodem momento nati, eodem postmodum denati sunt, & si vitæ dies supputes, alter alterum 3. 6. 7. diebus excedet.

IX.

Si contingat, ut Lusitanorum alii die Jovis, alii Veneris resurgerent, omnes tamen simul resurgent.

X.

Si ROBERTI BOYLE novis experimentis Physico-Mechanicis pag. 115. fidem habere velimus, quibus demonstrare voluit: aërem nostrum, etiam si per calorem non expansus sit, plusquam centies & qvinqvagies rarefieri posse, ultra quod in inferiori hac regione solet extendi; unde atmosphærā nostrā ad altitudinem viginti qvinqve Germanicarum Leucarum, si non ad aliquot centum vulgarium milliarium extendi posse putat; Et simul attendamus ad phænomenon, quod A. 1721. nocte inter diem 1. & 2. Martii media, nos ipsi hic loci in Zenith nostro vidimus; Non prorsus improbabile esse videtur, quod Excellent. HALLEJUS jam conjectit: phænomenorum quorundam, quæ auroræ borealis nomine Nord-Licht veniunt, splendorem & colores, esse solis jam sub horizontem demersi lumen per refractionem ad nos delatum, & habere adeo quædam observata auræ borealis phænomena, ut non ita pridem demum Clariss. LÖSCHERUS statuit, magnam analogiam cum quibusdam cometis. Taceo, quod DN. M. JENS. CHRISTIANI SPIDBERGS Historica demonstratio & observatio auroræ borealis, in qua lumen hoc boreale unicè à radiorum solarium reflexione & refractione deducit, magnam verosimilitudinis speciem habeat.

88 (o) 89

00 A 6274

ULB Halle
002 913 380

3



56

VDA 8

Rheo



B.I.G.

Black
White
3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13



12

I. N. I. V.

De

EFFLUVIIS CORPORUM NATURA- LIUM

ex

Atomorum Doctrina,
EXERCITATIONEM SECUNDAM
Consensu Amplissimi Ordinis Philosophici,

PRÆSIDE

JEREMIA PAPKEN, MATHESEOS PROF. ORDINARIO,

ERUDITORUM EXAMINI EXPONET
FRIEDERICUS GLAVE,

UCKERMUNDENSIS POMER.

IN AUDITORIO MAJORI

AD D. DEC. A. MDCCXXVI.

Gryphiswaldie,
Typis CAROLI HOEPFNERI, Reg. Acad. Typogr.